



Prot. N. 01120/2023-20/23/I

## DECRETUM

*PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis ab Exc.mo Domino Casimiro López Llorente, Episcopo Segobricensi-Castellionensi, una cum Rectore Castellionensis Basilicae, sub tit. Nostrae Dominae "de Lledó" seu "de Lidón" nuncupatae, in centesimo Coronationis anniversario caelestis Patronae simulacri, in ipsa Basilica piissime adservati, de caelestibus Ecclesiae thesauris benigne concedit plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et orationem ad mentem Summi Pontificis) a christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis, a die VII Maii MMXXIII usque ad diem V Maii MMXXIV lucranda, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si Nostrae Dominae "de Lledó" Basilicam, ipsam Concathedralem ecclesiam vel quodlibet Castellionense paroeciale templum in forma peregrinationis inviserint et ibi iubilantibus ritibus devote interfuerint, vel saltem coram caelestis Patronae imagine publicae venerationi exposita, per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei atque invocationibus Beatae Mariae Virginis "de Lledó".*

*Senes, infirmi omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si iubilantibus celebrationibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiam Deo oblatis.*

*Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut Basilicae Rector et sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto et generoso animo celebrationi Paenitentiae sese praebeant.*

*Praesenti pro hac vice tantum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.*

*Datum Romae, ex aedibus Paenitentiarum Apostolicarum, die IV mensis Maii, anno Dominicae Incarnationis MMXXIII.*

*Joannes Carol. Diacenza*  
Paenitentiarum, Major

*Aristophanes Nykif*  
Referens